ſanguis xp̄i dulciſſimꝰ ⁊ amore feruēti effu
ſus. q̄ ꝯſiderato deuotus hō̄ i voces laudis
A et exultatōis ameniſſimas ꝓrumpit. Ut
igit̄ quilibet hō̄ has laudis voces plenius
modulari poſſit. attendat mēorie paſſionis
fructus. Scd̄m enī Albertū quilibet conſe
quit̄ fructus et vtilitates deuote recolens
xp̄i paſſionē. Primus eſt tam maxia gr̄a et
pene remiſſio. ꝙ vtilius eſt homini ſic. con
ſiderare paſſionē. q̄ꝫ ſi ꝑ integꝝ annū ſexta
feria ieiunaſſet. Scd̄s q̄ꝫ ſi ſemel in hebdo
mada accepiſſet diſciplinā ꝑ integꝝ annuꝫ.
vſqꝫ ad effuſionē ſanguis. Terciuſ q̄ꝫ ſi per
annū ſemel in hebdomada pſalteriū legerꝫ.
Et bernardꝰ Quicunqꝫ ex toto corde recor
datur xp̄i paſſionē. recipit tres vtilitates.
Prima talis purgat̄ ab omnibꝫ pctīs. Se
cunda ꝙ ſi non indigeat purgatōne pctōꝝ.
valde paꝝ eſt dn̄o ob meritum illius hois
aliquas animas a purgatorio liberare. que
alīs ad magnū tpꝰ eſſent purgāde. Tercia.
quociens ſpiramē ex ore illius hoīs egredi
tur et aerem reſumit. totiens ſpūaliter grāꝫ
recipit. Ecce quātas vtilitates quis ꝯſequi
tur ⁊ interiores cōſolationes. Debet igitur
homo ꝑ iſtud ſacrum tempus paſſionis ſe
ab omnibꝫ exterioribꝫ occupatiōibus ſepa
rare. ⁊ ſe deuote ad verbū dei ⁊ ad alia que
repreſentāt chriſti paſſionem diſponere vt
hos fructus ꝯſequi mereat̄ et vitā eternā.

In cena dn̄i.

Cum dilexiſſet
ſuos qui erant in mūdo. in finē
dilexit eos. Johis. xiij.

B Philoſophꝰ. viij. ethicoꝝ vult ꝙ ami
cicia ex triplici bono cauſat̄. ſcꝫ vtili. delecta
bili ⁊ honeſto. Sed amicicia tantū ex vtili
vel delectabili n̄ eſt ꝑmanēs ⁊ firma qꝛ fun
damentum vt ſunt bona fortune vtputa di
uitie poſſeſſiones. ſanitaſ. pulcritudo. nō eſt
ſtabile ſed tranſitoriū. Jō nec amicicia ī hu
iuſmōi bonis eſt ꝑmanēs. nec ſtabil̄. qꝛ ceſ
ſante cā ceſſat ⁊ effectus. Solūmodo autē
amicicia ꝯcta ꝓpter honeſtū bonū ſm ph̄m
vbi ſup̄. firma ⁊ ꝑmanēs eſt. Jdeo ꝑiculo
ſum et inſtabile q̄ꝫtum ad amiciciaꝫ et pacē
dicitur eē matrimoniuꝫ propter diuitias ⁊
pulcritudinē contractuꝫ. qꝛ vt habet̄. ff. de
dona. inter. vi. ⁊ vx. l. iij. Honeſtus amor
pendit ex aīo nō ex lucro vel libidine. Cū
ergo amicicia xp̄i ad diſcipl'os fuit de bono
aīmi ſcꝫ virtutibꝫ q̄ dicunt̄ honeſte. quia ho
neſtatē faciunt. idō fuit ꝑmanens ⁊ firma ⁊
ꝑfecta. nec vnq̄ꝫ derelicta. qꝛ caritas q̄ deſe
ri pōt nunq̄ꝫ fuit vera. de peni. di ij. §. Item
ſine caritate. hoc etiā atteſtant̄ v̄ba thema
tis. Querit̄ cū eucariſtie ſacramentum ſit C
donum maximi amoris. quare in fine et nō
ante donabat̄ a ſaluatore. Ad quod rn̄den
dum multiplex aſſignat̄ ratio. Prima eſt
conſideratō ſacramentoꝝ veteris teſtamēti
Cum enī ipſa eſſent in figura paſſionis xp̄i
et fiendoꝝ in paſſione. in paſſione aūt debe
bant terminari oīa. nō ante. Jdō in fine
ceſſantibꝫ antiquis ſacr̄mentis alia ſacramē
ta a chriſto inſtitui debebāt. ⁊ maxime euca
riſtie ſacr̄menti. in quo oīa antiqua termi
nātur. ſicut in fine ꝑfectiſſimo. Secūdo in
fine eſt inſtitutū ꝓ valete. vt chriſtus r̄ceſſu
rus p̄ntia corporali. ſemꝑ nobiſcum eſſꝫ pre
ſentia ſacramentali. Tercio in memoriam
paſſionis ⁊ immolatōis chriſti. que nondū
erat exhibita ſed inſtabat. Jdeo non ante.
ſed tunc inſtitutum eſt in ſolatiū et in mēo
riam ſue paſſionis. Quarto vt opus maxi
me potentie ⁊ caritatis oſtenderet. quando
magis putaret̄ infirmus ⁊ impotens. vt fu
it tempꝛe paſſionis. Nā magnum opus po
tentie fuit mortuos ſuſcitare. ſed maxie po
tentie ad quod creatura nullo mō poteſt at
tingere. ſcꝫ vnam ſubſtantiā in aliā trāſſub
ſtantiare Quito vt cū ſaluator noſter vellꝫ
ſe tradere homini ad omnē conſolatōnem.
qꝛ ſe dederat aplis in ſolatium ꝓ conſola
tione corporali. ſe etiam voluit dare in edu
lium pro refectōe ⁊ conſolatiōe ſpiritali. ⁊
hoc magis conueniebat qn̄ receſſurus erat
a mūdo. qꝛ tunc magis indigebamꝰ ipō. Et
ſancti apoſtoli magiſ indiguerūt tꝑe paſſio
nis qn̄ xp̄us ab eis auferendꝰ fuit p̄ntia cor
porali. vt eo fortiores ꝑſiſterent. vel ſi cade
rent. citiꝰ reſurgerēt. quare paſſiōe imminē
te ad refectionē mentis ⁊ conſolatōem da
ta eſt contra aduerſitatē pellentem. Sꝫ D
querit̄. ſicut cibus materialis continue ſu
mit̄ ad ſuſtentatōem corꝑis. an etiā ille ci
bus aīe q̄tidie ſit ſumēdꝰ in ſignū amoris.

Ad hoc rñdet ſctūs Aug⁹. quaſi ignorans
mentes ſumendū. et hē de conſe. di. ij. Quo
die dicenſ. Quotidie eucariſtie ɔmunionē
ſumere. nec laudo nᶜ vitupo. omnibꝫ tamē
dñicis diebus ɔmūicandū hortor. ſi tamē
mens in affectu peccādi nō ſit. Nam hñtes
adhuc voluntatē peccādi. grauari magis di
co ꝙ purificari. Sꝫ querit gloſa ſꝛ illo vbo
affectu. loco ꝑallegato. qñ dicis ꝙ mēs ſit
ſine affectu peccandi. Rñdet credo ꝙ qñ ꝓ
ponit firmiter abſtinere a ꝗlibet mortli. niſi
ergo hoc ſit i ꝓpoſito. nun ꝙ dꝫ accipe cor
pus xpi. Debet ergo hō ꝗtidie ſe ꝑpare abi
lem ⁊ dignū ad ſuſcipiēdū eucariſtiaꝫ. Vñ
Ambro. Qui ſemp pecco. debeo ſp accipe
medicinā. Et richard⁹ in. iiij ſꝛ ſent. di. xij.
Sicut in corpe fit quaſi cōtinua deperditio
naturał humiditatis p actōnem naturał ca/
loris. qua de cā optet pluries cibū ſumere
ad reſtauratōem deperditi. ne dpditō cōti
nua mortē inducat. Sic cum ex corruptōe
concupiſcētie in nobis. ⁊ occupatōne circa
exteriora fiat dpditio deuotōis ⁊ caritatis
debemus pluries ſumere hoc ſacramētum.
p cuius ſumptiōem cauſatᷣ in anima ſpūale
nutrimētum. Nam ꝗcienſcūꝙ quis bona fi
de et hūilitate cōmunicauerit facit deo glo
riam. angelis leticiam. animabꝫ refrigeriuꝫ
et ſuſpins auget meritum. ¶ Sequitᷣ con
tinuatō ⁊ expoſitio euangelij. heri diceba/
tur quomō chriſtus ꝓ nobis voluit vulne
rari ex vera pietate. hodie diſcipulos infor
mauit in humilitate. Et ſm hoc ſunt tres p
tes euangelij.
In pma notatᷣ ɔuiuiū ſociale. in ꝗ fraterni
amoris confirmauit ligamentum. ibi. Ante
diem feſtum paſce.
In ſcđa ſuitum manuale ꝗ interni languo
ris indicauit purgamētū. ibi. ſurgit a cena.
In tercia edulium ſalutare in quo ſuperni
valoris ordinauit ſacramētum. ibi. Scitis
qui d fecerim vobis.

# Quātum ad primaꝫ

partem dicit euangeliſta. Ante diem feſtū
paſche. qui ſcꝫ totus fuit celebris. qualis fu
it dies. xv. lune que ꝑceſſit eiuſdem lunatō
nis. que tunc fuit veſpa quinte ferie añ dıē
paſſiōis. In ꝗ veſpa debebat comedi agn⁹
paſcalis ſm legem Exo. xij. et tūc hec facta
ſunt que pōſt dicentur. Sciēs Jhūs ſi tūc
primo. ſed ab inſtanti conceptōis. Hoc āt
hic expmitᷣ. vt oñdatᷣ ſcienter ⁊ volūtarie
ad paſſionē veniſſe quia venit. i. iam inſta/
bat hora eius a pre ordinata. ad hoc vt trāſe
at p paſſionē et mortē ex hoc mđo miſeabli
ad prēm et gliam. Cum dilexiſſet ſuos ſup
ple vere. qui erāt in mđo. i. in mundi ſtatu.
ſic apli. in finē. i. ad mortē dilexit eos. id ē
intm ꝙ illa dilectio eum traxit ad mortem
qui ē finis oīm terribiliū. iij. ethi. Et cena
facta. i. iam pata ⁊ aliqualiter conſummata
quo ad agnū paſchalē. cum dyabolus iam
miſiſſet p ſuggeſtionē in cor iude. qui erat
filius ſymōis ſchariothis. i. de vico dicto
ſcarioth. vt traderet eum. Et nota ꝙ ſexta
die ante paſcha qñ Maria effudit vnguen
tum ſup caput xpi. ſuggeſſerat dyabolus il
lam traditōem. ⁊ hodie fortᷣ impſſit. vt eū
traderet in manus iudeorū. ſciens Jheſus
quia oīa dedit ei pater in man⁹ .i. poteſta
tem ſuam. et ſciens quia a deo exiuit tanꝙ
conſubſtantialis filius. et ad deuꝫ vadit vt
ad ſuum terminū. Exiuit enim a deo eum
non deſerens. et ad deum vadit nō ſuos re
linquens. ſed ſemp eos ad bonum finē di/
rigens. ¶ Moraliter. ſaluator noſter trāſi E
turus de hoc mūdo ad patrem. ſciens oīa
nouit etiam diſcipulorꝫ ſuoruꝫ fragilitatē. ⁊
omniū chriſtianorꝫ ſequētium p hui⁹ mun
di iter pgrinum ad celum. Jđo more pij
patris filijs ſuis ꝓuidit đ viatico ſui corpo
ris ꝑcioſi et ſanguinis. mediāte quo robora
ti poſſent potenter p iter huius mundi ve
nire ad eternā quietem ⁊ beatitudinē. Naꝫ
vt dicit auicēna. i. canōe. c. iiij. et i tractatu
de regimīe iter agentiū. Neceſſe eſt ꝙ hi ꝗ
iter agunt in hyeme ꝙ non eant vacui. ſed
ſint vino ꝑcioſo potati. ⁊ aſſatis carnibꝫ ſat
ciati. Cui⁹ cām aſſignat. qꝛ tempore magni
frigoris caloꝛ naturalis retrahitᷣ ad interio
ra. Si igitur ſtomachus eſſet vacu⁹. de faci
li caloꝛ naturalis poſſꝫ extingui. ſicut accidit
de lumīe lucerne in qua deficit oleū. Et qꝛ
vinum hꝫ calefacere. ⁊ aſſate carnes magis
nutrire. qꝛ magiſ ſapide cū decoquātᷣ i hūi
do ꝓprio. Jdeo ꝑdicta ſunt optime ambu
lantibꝫ neceſſaria. Exemplū h⁹ hēm⁹ exodi

xij filijs iſrahel qui cum p̃cipiente deo exire
debebãt egiptũ. p̃cepit ut renes ſuos accin
gerent ꝓ maiori expeditõne vie. ⁊ baculos
hẽrent in manibꝫ ut ꝑegrini. ⁊ agnũ ãnicũ in
igne aſſarent. et feſtinãter comederẽt. Sic
ſaluator nr̃ verus agnꝰ imaculatus. igne ca
ritatis in cruce aſſatus ad nr̃am roboratiõẽ
et confortatõem in hoſtia ꝯſecrata miſtrat̃
cum tota deitate cõmunicantibꝫ nec minus
nec maiꝰ. ſed totus xp̃s natus de v̾gĩe paſ
ſus ⁊ ſepultus. reſurrexit aſcenditq̃ in celũ
et ſedet ad dexterã pr̃is cum tota deitate.
Vñ ambroſius. de cõſe. di. ij. omnia. In ho
ſtia conſecrata eſt tota deitas. vere illd̾ corpꝰ
qd̾ ſumptũ eſt de virgine. qd̾ paſſum qd̾ ſe
pultum. reſurrexit et aſcendit in celũ ⁊ ſedꝫ
ad dexterã pr̃is. cuiꝰ v̾tute ꝑagere poſſumꝰ
viam hꝰ vite. ⁊ expedite exire d̾ manibꝫ ini
micoꝝ ad celeſtẽ pr̃iam. ¶ Et ideo digne
volens ipꝫ corpꝰ xp̃i ſumere. nec̃e eſt vt ha
beat ſp̃ũaliter tria req̃ſita ad eſum agni. i.
corꝑis xp̃i que figurata ſunt in alijs tribus
neceſſaria ꝓ eſu agni paſcalis. ſ. renum ac
cinctione. baculi portatõe. ⁊ pedum calciati
one. In quibꝫ tribus miſtice tria ſignãt̃. ſ.
Mentis puritas
Fidei firmitas
Voluntatis caritas.
¶ Nullus eñ hoĩm ad hoc ſctĩſſimũ acced̾
re dꝫ ſacr̃m. niſi fuerit p̃mo bñ purgatus ab
omnibꝫ ĩmundicijs ſceleꝝ. nũeri. xviij. Qui
mũdꝰ ẽ. in domo tua. i. in eccl̾a veſcet̃ pãe il
lo. i. corꝑe xp̃i. al̾s nullus. Dꝫ eñ hõ primo
mentẽ purgare ab omni p̾ua affectõe. Hie
remie iiij. Laua a malicia cor tuũ. Nã ſi cig
nus naturali inſtinctu poſtq̃ coiuit cũ ꝓpria
coniuge. nõ capit cibũ niſi p̾us lauerit ſe tã
q̃ rem fedã fecerit. Quõ miſer pctõr q̃ vni
tur rõne ⁊ multis pctĩs ſe implicauit. et ſi ñ
oꝑe ꝯpleuit. nichilominꝰ p̾ua affectõe mẽtẽ
fedauit. audet cibum iſtũ ſactĩſſimũ ſumere
niſi prio fuerit aq̃ lacriaꝝ ꝓfluẽte ex amara
pnĩa purgatus. Dꝫ ec̃. v. ſenſus purgare.
oc̾los ab ĩpudico aſpectu ⁊ illicito viſu. Au
guſtiꝰ. Nõ dicatis vos hr̃e aĩos pudicos ſi
hr̃atis oculos ĩpudicos. i. vagos. q̃r impu
dicus oculꝰ. ĩmpudici cordis eſt nuncius.
Volẽtes igĩ acced̾re ad mẽſã dñi. ſm̃ yſid̾.
Nõ ſ. nt vagi oculis. nõ effreni lingua. aut
petulantia. fluido geſtu nõ incedãt. ſed pu
dorem atq̃ verecundiã mẽtis ſimplici hitu
inceſſuq̃ oñdant. Sic etiã oẽs nr̃i ſenſus
purgandi ſunt. ⁊ oĩa mẽbra corꝑis. os. mãꝰ
pedes. reſtringẽdi ſunt. Et hoc ſignat̃ in fi
gura in eo ꝙ p̃cipiebat̃ volenti comedere
agnũ ꝙ eſſet accinctꝰ renibꝫ. i. caſtus ⁊ mũ
dus. Lu. xij. Sint lũbi vr̃i p̃ci. Qd̾ expõit
Gregoriꝰ di. Lumbos eñ p̃cingimꝰ. cũ car
nis luxuriã ꝯtinentiã coartamꝰ. Figurat̃
eucariſtia etiã in pane ꝓpiciatõnis. qui con
ſecratus dño a mũdis ſolis comedebatur.
Quare ut hr̃. i. regũ. xxi. Cum dauid fuge
ret ꝑſecutõem ſaul. venit in nobe cũ pueris
id ẽ famul̾ ſuis ad achimelech ſũmũ ſacer
dotẽ. petens panẽ. Qui q̃ſiuit ſi mũdi eẽnt
pueri ſui. maxie a mulierĩbꝫ. Et rñdit equi
dem. ſi de mlĩeribꝫ agit̃. ꝯtinuimus nos ab
heri et nudiuſtercꝰ qñ egrediebamur. et fu
erunt vaſa. i. corda pueroꝝ ſancta. ⁊ dedit
eis ſacerdos panẽ ſanctificatũ. Sic homo
volens euadere mortem eternam et fugere
dyabolũ. debet cum pueris id ẽ recollectis
oĩbꝫ ſenſibꝫ intrare eccleſiã. et cõfitendo et
dolendo ſe purgare de omnibꝫ ⁊ ſpecialiter
peccato carnis. et etiãꝫ ob reuerẽtiam tanti
ſacramẽti abſtinere pꝛiꝰ ad aliquot dies a
propria vxore. vt dicit̃ d̾ conſe. di. ij. Ois
homo. Et tunc cũ omnia fuerint mũda. cor
manus. pedes ⁊ omẽs ſenſus. deuote ⁊ re
uerenter debet petere a ꝓprio ſacerdote pa
nem ꝓpiciatõis. ſ. eucariſtiã quod interp̃ta
tur bona gr̃a. quia gr̃ãm nobis donat. ⁊ pro
piciatõem nobis impetrat ⁊ remiſſionẽ om
nium peccatorũ. ſ. venialium. Vñ gregoriꝰ
in omelia paſchali. Prouidẽs enĩꝫ nobis
chriſtus hoc ſacr̃m ſalutis. quia nos quoti
die peccamus. ⁊ ille iam mori non põt. per
iſtud ſacramẽtum remiſſionẽ peccatoꝝ con
ſequamur. ¶ Sed circa hanc figurãꝫ que
runtur duo. Primo an ſacerdos dans hoc
ſacramẽtum petenti peccet. ſciens ꝯmunicã
tem eſſe in peccato mortali. Et videt̃ ꝙ ſic
Nam medicꝰ mortaliter peccaret. qui ſcien
ter daret medicinã infirmo qua eſſet interfi
ciendus. ergo cũ grauior ſit mors ſpiritual̾
q̃ corporalis. multo fortius ſacerdos mor
talit̾ peccat. qñ ponit ip̃m in ore ipiꝰ. quem
ſcit eẽ in mortl̾i peccato. Cõtra de ꝯſe. di. ij.

F G b

Non ꝓhibeat diſpenſator pingues terre. c. ſ. peccatores ſcḋm glo. menſam dñi mãducare Item. i. q. i. Xp̃s quid fecit nobis. qui tra di tore ſuũ tanta paciẽ ꝑtulit. vt ei p̃mã eu cariſtiã ꝯfectam manibꝫ ſuis ⁊ ore ſuo ꝯmẽ datã ſicut ceteris aplis traderet. q. d. In h̃ exemplũ nobis reliq̃t. Rñdꝫ richard' i iiij. ſuꝑ mgr̃m di. ix. ⁊ diſtinguit. ꝙ ille queꝫ ſa cerdos ſcit eſſe in pctõ mortali. aut nõ petit ſibi eucariſtiã dari. ⁊ tũc ſacerdos dãdo pec caret. aut petit ⁊ tũc diſtinguit. Aut ſuũ pec catũ mortale ẽ occultũ aut manifeſtum Si manifeſtũ. tũc ſacerdos ſibi dando peccarꝫ q2 legitimã ꝯtra eũ habet exceptõem. quaꝫ ſibi publice obijcere p̃t. ⁊ accipit hic mãife ſtum nõ ꝑ omni eo q̃d ꝓbari p̃t. q̃d magis ꝓprie dicit̃. manifeſtabile q̃ꝫ mãifeſtũ. Vñ ſi ſacerdos ſciret parrochianũ ſuũ eſſe in cri mĩe q̃d legitime poſſet ꝓbare. Ita ꝙ illud crimẽ ſcirent duo cuꝫ eo vel tres teſtes per quos hoc ꝓbare poſſet. non ꝓpter hoc debe ret eucariſtiã illi negare in publico petenti quia iam inferret ſibi penam añ criminis ꝓba tionem quod fieri nõ debet. xi. q. iij. eo ꝑ q̃.

h ¶ Sed accipio hic manifeſtũ ꝑ notorio. Eſt autẽ peccatum notoriũ ſeu ꝑ ſententiã ſeu ꝑ ꝯfeſſionem factaꝫ in iure. aut euiden tiam rei que aliqua tergiuerſatiõe celari nõ poteſt. extra de coha. cler. c. vl. ſi autẽ pctm̃ ſuum eſt occultũ aut petit in occulto. ⁊ tunc ſacerdos ſibi dando peccaret q2 hꝫ cõtra eũ legitimã exceptõem quã ei in publico obij cere poſſet. et ip̃m monere debet ne petat in publico vt habet̃ de cõ. di. ij. non ꝓhibeat Aut petit in publico. et tunc ſacerdos tene tur ſibi dare. quia contra eum non habet le gitimam exceptõnem quam ei in publico obijcere poſſit. extra d̃ offi. iud. ordi. Si ſa cerdos. Ad argumẽtum dico ꝙ non eſt ſi mile. quia talem medicinã negare infirmuꝫ non infirmaret. nec populũ ſcandalizaret. nec aliquod p̃iudicium bono communi faceret quod fieret ſi iudici liceret punire vel aliũ diffamare ꝑ ſua voluntate iudiciario ordĩe p̃termiſſo. ¶ Querit̃ ſecundo an ꝓpter ali quid quod nõ eſt peccatum. ſed al's natura liter immũdum. teneatur homo abſtinere a ſuſceptiõe h' ſacri. vtputa. immũdicia mẽ ſtruoꝝ aut ſeminiflui. qui reputabant̃ immũ di ſcḋm legem. Et videt̃ ꝙ non. Nã ſi ꝓpter aliquid maxĩe ꝓpter menſtrua. ſed hec non ꝓhibent mulierẽ ab huius ſacramẽti ſuſce ptõe. di. v. ad eius. ⁊ a ſimili nec ſemifluo. Contra cõiugalis concubitus ſine omĩ pec cato fieri poteſt. ſed añ eucariſtie ſumptõeꝫ aliquot diebꝫ ab vxoribꝫ ꝓprijs ẽ abſtinẽdũ de ꝯſe. di. ij. om̃is hõ. ergo eſt aliq̃d aliud a pctõ. ꝓhibẽs h' ſacramẽti ſumptõem. Rñ det mgr̃ richꝰ. in. iiij. ſuꝑ mgr̃m diſt. ix. Qꝫ ꝓpter aliquid q̃d nõ ẽ pctm̃ tenet̃ aliq̃ñ hõ abſtinere a ſuſceptõe hu' ſacramẽti. ꝓpter ordinatõem eccleſie. q̃ ꝓpter ſacri reuerẽtiã ordinauit homiem aliq̃ñ debere abſtinere ꝓ pter aliqua que nõ ſunt peccata. eo ꝙ impe diunt vel minuũt reuerentiã. que debet ob ſeruari in hm̃oi ſuſceptiõe. cuiuſmodi ẽ no cturna pollutio ꝓueniens ex crapula. vel ex immũda cogitatõe que p̃ceſſit in vigilia. q̃ crapula vel cogitatõ ſi mortalia peccata fue runt vel ꝓbabile dubium eſt vtrũ fuerunt tunc pollutio ex eis ꝓueniens ꝓhibet de ne ceſſitate huius ſacramẽti ſuſceptõnem. Si aũt certum eſt ꝙ non fuerũt niſi peccata ve nialia. tunc illa pollutio non ꝓhibet niſi de congruitate. Si autem ꝓueniat ex nature ſuꝑfluitate vel infirmitate. nõ credo ꝙ pro hibeat. ⁊ hec ꝓbari poſſunt ꝑ hec que dicũt diſt. vi. Teſtamẽtum. Probabile etiã peri culum vomendi ꝓhibet ſuſceptiõem huius ſacramenti. Et de ſimilibꝫ ſimile iudiciũ hꝫ Et poteſt dici quaſi ꝑ quãdã appropriatio nem ꝙ p̃dicta minuũt reuerentiã que debꝫ obſuari in ſuſceptõe h' ſacri rõe ſp̃ei ꝯſecte Et quia reuerẽtia q̃ debetur corpi xp̃i exigit vt ip̃e ſuſcipiens diligẽter recogitet q̃d ac cipiat. q̃d infantes ⁊ furioſi facere nõ p̃nt. ideo talibꝫ dari nõ debet Si tamẽ furioſus quandoqꝫ ad debitum ſenſum reuertetur. petens in tali ſtatu ſacramẽtum. ſibi poteſt dari ſi non timeat̃ ꝙ ꝓijciat. Ad argumen tum in oppoſitũ. ꝙ immũdicia menſtruorũ non ꝓhibet mulierem cõmunicare. quia eſt immundicia pure naturalis. Si autẽ vt di citur ibidem ex veneratiõe magis percipere non p̃ſumit laudanda eſt. ſed ſi percipit nõ eſt iudicanda. Simili modo poteſt dici de illa infirmitate q̃ Leuit. xv. d̃r flux' ſeminis.

¶ Secũdo volens accedere ſacr̃m dꝫ habere I

firmā fidem ⁊ ſolidā. nichil heſitans. et de
uote poſtulare. Jacobi. i. Poſtulet in fide
nil' heſitans. Licȝ enī ſenſus hoīs in ſuſce
ptione hui⁹ ſacramēti nichil aliud ſentiant
niſi ſpecies panis. tamē decipiunt̉ omnes
preter auditū qui vere aſſentit ei. ꝙ d̉r hoc ē
corpus meū. Hoc eſt pulcre figuratū in be
ñdictiōe Jacob et pia deceptiōe yſaac. Geñ.
xxvij. Nam iacob gerit typum hui⁹ ſacramē
ti in quo verꝫ corpus xp̄i ſub panis acciden
tibus occultatur. Eſau vero gerit typuȝ for
me viſibilis. ſȝ yſaac gerit typū ſenſus hu
mani qui oīs ſtupore concutit̉ in hoc ſa
cramento. Qḋ etiā bene figurat̉ in ſtupore
yſaac. de quo dicit̉. Expauit yſaac ſtupore
vehemēti. et vltra ꝙ̄ credi pōt admirās ait.
Quis eſt ille qui iam dudū captaȝ venatō
nem attulit mihi. ⁊ comedi ex omnib⁹ pri⁹
ꝙ̄ tu venires. In quo miſtice exprimit̉ ſtu
por et admiratio ſenſus humani. qꝛ hō exte
rior merito ex hoc magno ſtupore concutit̉
ꝙ anima deuota prius ꝑ fidem inuiſibilē et
ſpūalem refectōem in iſto ſacramento per
internam deuotōnem reficit̉. ꝙ̄ guſtus cor
poralis ꝑ formā ſpeciei ſenſibilis immutet̉
Sed querit̉. quare xp̄s voluit ſic ſpecie
aliena velari. ⁊ a xp̄iāis māducari. Dico ꝙ
potiſſima cauſa eſt meritū fidei. qꝛ ſm̄ Gre
goriū. Fides non habet meritum. vbi hūa
na ratō p̄bet experimētum. Nam ſicut culpe ⁊
meritū cepit a falſa credulitate dyaboli ſug
gerentis homini cibū mortis Ita decuit vt
hoīs meritū inciperet ex hoc. ꝙ credit v̄bis
chriſti de cibo vite. cum dicit hoc eſt corp⁹
meum. In ſignū huius dicit dn̄s Thome
Quia vidiſti me ⁊c. beati qui nō ⁊c. Le
k gitur de ſancto Ludouico rege francie. qui
duȝ quadā die miſſarꝫ audiret ſolennia. vo
catus in eccleſia ꝑ quendā militum ſuorꝫ de
uotum. venire ad altare alterius ſacerdotis
ſi vellet ſicut idem miles vidēre xp̄m in for
ma pueri. Dixit rex ꝙ nō. Addēs v̄bum
maxime fidei ac relatōe dignū. Q, ſi ſcireȝ
retro me ſtantē dominū Ihūm xp̄m ſic fuit
in paraſceue ī cruce. nollē me vertere vt eū
carnalit̉ aſpicerē. ex eo ꝙ meritū fidei amit
terem. Hoc iō dixit. qꝛ ſacerdos cui⁹ miſſā
audierat etiā iam ꝯſecrauit. et ꝓpter hoc ve
rum corpus chriſti ibidē eſſe nō dubitauit.

Et de hugone d̉ ſctō victore legit̉. ꝙ lōgo
tempe orauit vt poſſet videre xp̄m ī hoſtia
conſecrata. Et dum quadā vice miſſam di
ceret poſt agnus dei apruit ſe hoſtia. ⁊ exiuit
puerulus formoſiſſim⁹ ſedens ī ea. eū in pate
na cuius viſione indicibilr̄ ꝯſolatus extra
ſe rapiebat̉. cum puero delicioſe ſolaciādo
Cui puer tandē ait Hugo comede me. Cui
hugo ⁊ quo auſu amātiſſime dn̄e audeaȝ te
comedere. ⁊ dentib⁹ meis dilaniare. cui pu
er niſi manducaueris me nō habebis vitaȝ
in te. Tunc Hugo orauit di. O dn̄e ſi ſic
fieri eſt neceſſe. oro te vt abſcondas vultū
tuum amātiſſimū a me. Et tunc abſcōdit ſe
ſub forma panis dicēs. Hugo qꝛ me vide
re nuduȝ voluiſti. extūc meritū fidei de illo
ſacramēto in te euacuaſti. Diceret forte
infidelis quō poſſum credere illam trāſſub
ſtātiatōnē. ꝙ panis tranſſubſtantiat̉ in cor
pus xp̄i cum ſit contra naturā. Dico ꝙ licȝ
ſit contra naturā. nō tamē eſt ꝯ diuinā pote
ſtatem. que maior eſt natura. qḋ probat̉ ſic
Nam deus ē agens in cui⁹ virtute eſt omne
poſſibile. creaturā eſſe vel n̄ eſſe. quare vnū
in aliud pōt conuertere et nō eſſe in eſſe. et
eſſe in nō eſſe. Sed maius ē de nō eſſe ad
eſſe ꝓducere aliquid ꝙ̄ eſſe in eē ꝯuertere
ſed de⁹ fecit primū. qꝛ omnia de nihilo crea
uit. quare ⁊ ſcd̄m pōt facere. Hoc patet na
turali exemplo. Natura enī in animalib⁹ na
turaliter conuertit ꝑticularit̉ ſaltem ſubſtā
tiam in ſubſtantiā. ſicut alimētū in ſubſtāiā
aliti. ij. de aīa. Quare etiam auctor nature
non poſſet. ymmo plus et maius pōt. qḋ ē
totam ſubſtantiā ꝯuertere in aliā totā ſub/
ſtantiam. Pȝ etiā hoc exemplo ſcripture
Nam terra ꝯuerſa eſt in carnē in hoīs cre
atione. Geñ. ij. Et vxor Loth reſpiciēs cō
tra dei mandatū. conuerſa ē in ſtatuā ſalis
Geneſ. xix. Et virga moyſi in ſerpentē. ⁊ ſer
pens iterꝫ in virgam. Exodi. vij. Et xp̄s mu
tauit aquā in vinum in ꝯuiuio. Iohañ. ij.
Et plura alia exempla hoc poſſe fieri oñdūt
Quare nullo mō eſt negandū. ſed firmiter
credendum. Tercio volens accedere ſacr̄ L
mentū debet habere affectiōem caritatis et
deſiderium. Yſaie. xxvi. Memoriale tuū in
deſiderio anime tue. Dicūt medici. faſtidiū
id eſt vrdrutȝ. eſt ſignū certum male dige

ſtionis prioris nutrimēti. vnde etiā plures
cauſant egritudines. ſi cibus ſine deſiderio
ſumat. Vn̄ auicēna. i. can̄. fen. iij. c. vij. om
nes qui ſanitatē habere volūt. nc comedāt
nec bibant. donc certū habuerint deſideriū
et ſtomachus ꝛ ſuperiora inteſtīa a primo nu
triente euacuata fuerint. Sic certe maxim
ſignum male diſpoſitiōis hoīs eſt. ꝙ a mor
bolis nutrimētis criminū nō adhuc eſt bene
mundatus. ſi non habet deſideriū caritatis
ad hunc cibū corporis xpi. ſed faſtidiū. vnd
cauere debet ne panē illum ſuauiſſimū ſuſci
piat. niſi prius hn̄ interi cor mūdet a prio
ribus carnalibꝫ cibis petōꝝ. q: ſi bene pur/
gatus fuerit cibus iſte habebit iuxta deſide
rium ſaporē omnis delectamēti. Sap. xvi.
Panē de celo dediſti eis dn̄e. oē dlec. ꝛc.
Quare merito in māna figurat. de quo dic
Nicola de ly. nūeri. xi. ꝙ habuit triplicem
ſaporem. vnus erat naturalis. ꝛ ille erat qī
ſapor mellis Exo. xvi. Alius ſupnaturalis
ꝛ hic duplex. quia bonis ſapiebat ꝓut vole
bant. Sapiebat enī vt piſces cuꝫ deſidera
bāt piſces. vt carnes cū deſiderabāt carneſ
et ſic de alijs magis deſcendendo. Et hoc ē
quod ſapie. xvi. dicit Dulcedinē tuā quā
in filios habes oñdebas. deſuiens vniuſcu
iuſqꝫ voluntati. Ad quod quiſqꝫ volebat
conuertebat. Et eadem rōne malis erat in
ſipidus. qui de natura ſua erat dulcis Vn̄
legit numeri. xxi. ꝙ quādo filij iſrael ꝓfecti
ſunt de monte hor ꝑ viam q̄ ducit ad mare
rubrum. tedere cepit itineris ꝛ laboris ꝓpt
deuiatōem magnā a recta via et ceperūt mur
murare ꝯ deū ꝛ moyſen dicentes. Cur edu
xiſti nos de egipto vt moreremur in ſolitu
dine. deeſt panis. nō ſunt aque. et aīma no
ſtra iā nauſeat ſuꝑ illo cibo leuiſſimo. Quā
obrem miſit dn̄s in populuꝫ ignitos ſerpen
tes. qui ſecunduꝫ aliquos volantes per ae
rē emittebant ſcintillas ardentes et popu/
lum mordebāt et incēdebāt. Pro quo ora
uit moyſes ad dn̄m. et dominus miſertus
iuſſit ſerpentē fieri eneum ꝛ erigi in ſignum
quē cum ꝑcuſſi aſpiciebant ſanarent. Sic
ad ꝓpoſitum ꝑplo xpiano in deſerto hꝰ mun
di vagante. et vtinam nō a recta via morū
virtutū et iuſticie errante. dn̄s deus ꝓuidit
de cibo ſuauiſſimo et ſapidiſſimo aīme iuſte
et deuote qui habet animā plus omnibꝫ ſpi
ritualibus alimētis reficere ꝛ letificare. Nā
ſcd̄m magiſtꝝ iiij. ſententiaꝝ di. viij. c. vl.
Sicut panis p̄ ceteris cibis corpus reficit
ꝛ ſuſtentat. ꝛ vinū letificat hominē atqꝫ ine
briat. Sic caro xpi hominē interiorē plus
ceteris gratijs ſpūaliter ēficit ꝛ ſaginat. hic
autē cibus malis non ſapit. quia malis cor
ruptiōibus petōꝝ pleni ſaꝑe nō poſſunt hu
ius cibi dulcedinē. i. Cor. ij. Aialis homo
non ꝑcipit que dei ſunt. Stulticia enim eſt
illi et nō poteſt intelligere. ſpūalis autē oīa
iudicat. Eſt de eis ſicut de īfirmis q̄ dulcia
amara iudicant. Vi qn̄ precepto eccleſie ar
tantur ſemel dumtaxat ꝯmunicare in ān̄o.
impaciētie et indeuotōis oñdūt ſigna. mur
murantes ꝯ diuinā ordinatiōem. ꝛ ꝯ ſacer
dotes. et ſic quādoqꝫ indeuote ꝛ ſine carita
tis deſiderio accedunt. q̄obrem deus ꝯtra
tales immittit ſpentes ignitos. i. multas cor
poris tribulatōnes vt etiam ꝑactum eſt. et
niſi ꝑcibꝫ deuotoꝝ et ſpāliter merito paſſio
nis xpi ſaluarentur. ꝑirent eternaliter.

## Secūda pars inqua

notat ſuitiū manuale. ibi. Surgit ꝛc. Vt
eīn ſaluator nr̄ diſcipulis ſuis vere humili
tatis traderet exempluꝫ. ſurgit a cena ſedē
tibus diſcipulis. ꝛ quia miſtrare volebat. d
ponit veſtimēta ſua. non oīa. ſed ſolū illa q̄
rum depoſitio erat expediens. ꝓ lotione fa
cienda. Et cum accepiſſet lintheū precinxit
ſe vt eſſet expeditior ad lauandū. ꝛ lintheū
accepit ad pedes tergēdū. dīn̄ miſit aquā
in peluim ꝛc. Venit ergo ſm̄ Aug. ad Pe
trum primū tāqꝫ ad p̄ncipē aploꝝ. Qui ad
tam humile obſequiū a xpo dn̄o ſuo et ma
giſtro ſuſcipiendū ſtupefactus eſt. ſuitium
recuſauit dicens. dn̄e. ꝛc. q. d. Dn̄e rex re
gum. tu qui es filius dei viui. mgr̄ ꝛ doctor
meus. mihi miſero ꝛ indigno famulo et vi
liſſimo vis lauare pedes immūdos. digniſſi
mis manibꝫ tuis quibꝫ oculos cecorū apui
ſti. leproſos mundaſti. ſurdos curaſti ꝛc. q.
d. hoc nullo mō debet fieri. ¶ Moraliter M
quia pn̄s ſtatio ānualis eſt ꝛ plebe diuerſo
rum ſtatuū cōgregata. ſpectantia ad debitā
policiā cōmunitatis tractabo. quia ut habet
. C. de veteri iure enucleādo. l. tanta. § ꝯtiū

autem Multo vtilius eſt pauca ydonea ef
fundere ꝙ̄ multis inutilibꝰ homies ꝑgraua
ri. Et boeciꝰ in ð diſ. ſcho. Succicta vitas
licꝫ voce ſit tedioſa. non tamē omino infru
ctuoſa Et ideo magni pricipes ⁊ ꝑitiſſimi
viri. vt aliquid vtilitatis ex ſmonibꝰ colli/
gerent. dignati ſunt ſcientiā audire ⁊ doctri
nam vt ex auditis melius ſeip̄os et alios re
gere poſſent. Unde ſapiēs. Audiēs ſapiēs
ſapientioꝛ erit. et intelligens gubernacula
poſſidebit. Quare quidā iuriſperitus vt ð
.ff. de fidei ꝯmiſſ. lib. apud Julianū dixit.
Si alteꝝ pedem in ſepulcro haberē. adhuc
diſcere vellem. Et beatus Auguſtiꝰ. vt reci
tatur. xxiiij. q. iij. ſi habes. Senex a iuuene
et epiſcopus tot annoꝝ a collega nondū an
niculo paratus ſum doceri. nulla enim etas
ſera ad diſcendū. ff. vbi ſup̄. Ex his datur
doctrina cuilibet ſeni ⁊ iuueni. inſcio et pru/
denti ꝙ poſtpoſita omī iactantia magne elo
quentie. potentie prudentie. ſenectutis expe
rientie. libenter verbū dei etiam a minio au
diat patienter q̄ dūtaxat vera ꝑdicat ⁊ erro
nea nō immiſcet. Nā ut dicit͛ Luc. x. Qui
vos audit me audit. ⁊ qui vos ſp̄nit me ſper
nit. exemplū habemus in diſcipulis chriſti
qui in cena attenti fuerēt doctrine xp̄i. ⁊ omi
cum reuerētia ad affectū deduxerunt. ideo
ſurgenti xp̄o ip̄i etiam ſurrexerēt ⁊ iubēte ad
lotionē ſederunt. Et petrꝰ vt xp̄i volūtatꝫ
impleret qui primo recuſauit ꝓpter reueren
tiam dn̄i lauare pedes. tandem caput. manꝰ
et pedes obtulit vt ꝑfectam eius obediētiā
oſtenderet. Sic ⁊ chriſtifideliū ꝑfecta eſt
obedientia. et imitatio diſcipuloꝝ cū iuben
te magiſtro veritatis. non ſolum pedes coꝛ
poris politici. verūetiam caput et manus ex
hibent humilit͛ correctiōi ⁊ lectioni. In coꝛ
poꝛe autē politico vt ſingula ſingulis coꝛre
ſpondeant ſunt.

Conſulares vt caput in regendo.
Militares vt manus in defendendo
Populares vt pedes in ſeruiendo.

Nam ſcđm Iſidoꝝ libro. xi. caput ē a ca
piendo dictū eo ꝙ oīs ſenſus ⁊ nerui inð
initium capiāt. Caput eſt ſedes ſenſuū. pri
cipalium. ⁊ origo omniū organoꝝ ſenſibili
um aīal' ⁊ eoꝝ rectiuū. Quatuoꝛ nanqꝫ in
compoſitiōe capitis ꝑncipaliter concurrūt.
videlicet duroꝝ oſſium foꝛtitudo. medulle
cerebri plenitudo. carniū exterioꝝ paucitu
do. capilloꝝ etiā ⁊ neruoꝝ multitudo. Illa
enim ꝯcurrunt in completōe ⁊ compoſitōe
capitis. ſcđm Conſtantinū. Per caput nā
ꝙ̄ licꝫ gn̄aliter omnis ſupioꝛ ſignari poſſit
ad p̄ns tamē ſignat conſularē quemlibet. q̄
rōne prudentie ⁊ diſcretiōis ponit͛ cū alijs
ad regimen totius coꝛpis politici. In iſtis
nanqꝫ oīs ſenſus ⁊ intellectus diſcretōis
ꝓ vtilitate cōmunitatis. vt cōmunitas bn̄
et oꝛdinate regat͛. habere debet initiū. i. reg.
xv. Caput in tribubꝰ iſrael factus es. Sed
quid. ꝓculdubio ad hoc electus. debet hr̄e
oſſa foꝛtitudinis ⁊ ꝯſtantie. multā medullā
mititudinis ⁊ clementie. paucam carnē car
nalitatis ⁊ laſciuie. neruos dilectōis ⁊ ami
citie. capillos exterioꝛis honeſtatis ⁊ decen
tie. Caput eñ quanqꝫ duꝝ exterius appare
at. multā tamē habet interiꝰ medullā. Sic
cōſulares dato ꝙ appetenter ꝑtendere de
beāt duriciā ſeueritatis. et ſemꝑ gerere con
ſtantiā ſolide firmitatis in cōſiliando. debꝫ
tamē intus affluere medulla mollis et tene
re pietatis. indiſtincter omnes accedentes cū
in cauſis clemēter audire. nec paupi nec in/
opi viam adeundi ꝑcludere. Un̄. ff. ð offi.
p̄ſidis. l. obſeruandum. Obſeruandū eſt ius
reddendi. vt in adeūdo quidē facilē ſe pre
beat. ſed contēni ſe non patiat͛. Un̄ areſto.
in epiſtola ad Alexandꝝ. docens qualiter
quilibet regens debeat regere dicit. Rege
ſup eos cum bonitate ⁊ exaudi eos cū beni/
gnitate. quod ſi feceris oīs erunt tibi ſub
iecti ad tuum bn̄placitum ⁊ p̄ceptum. ⁊ per
amorē quē habebunt in te. dominaberis in
eis pacifice cum triūpho. Debet etiā habe
re capillaturā honeſtatis ⁊ paucitudinē car
nalitatis. i. hr̄e grauitatē in moribꝰ. nec ver
bis nec factis more iuuenū eſſe laxus. ne cō/
temptibil' habeat͛. Nimia eñ familiaritas
parit cōtemptū. Unde. ff. vbi prius. Ex cō
uerſatione equali cōtemptio dignitatis na
ſcitur. Debet etiā eſſe durus in conſtātia ⁊
firmus ne ira vel auaricia vel inoꝛdinata di
lectione deuiet a veritate. ſed quod iuſtū
eſt honeſtū ⁊ vtile dicat. nec amicū nec ini
